De iambico apud Plautum septenario

Dissertatio

quam

summorum in philosophia honorum ab amplissimo

Universitatis Lipsiensis

philosophorum ordine

rite

obtinendorum causa

scripsit

Paulus Mohr,

Stendaliensis.

MDCCCLXXIII.

PRAECEPTORI DE SE OPTIME MERITO

ANDREAE WEIDNERO

D. D.

SCRIPTOR.

Inter cantica Plautina singulari excellit diligentia severioreque pedum compositione septenarius iambicus, quo nomine Diomedes (K. vol. I, fasc. II, p. 515; P. p. 514) et Rufinus (P. p. 2706) tetrametrum iambicum catalecticum a Varrone notatum esse commemorant. Is versus, qua est hilaritate quadam ac mobilitate, vel maxime aptus videbatur esse ad significandam et argumenti et diverbiorum progressionem. Sed tamen multo invenitur rarius quam septenarius trochaicus aut vero senarius iambicus. In nonnullis enim comoediis, velut in Amphitruone et Bacchidibus, omnino non exstat, in aliis, ut in Pseudulo, Trinummo, Captivis, Menaechmis, Casina, Aulularia, singuli huius generis versus per media dispersi cantica leguntur. Plurimos quidem septenarios continet Asinaria, vv. CCCXX, sequitur Miles, quae fere CCX, deinde Rudens, quae ad CC habeat. Hos igitur universos ne illis quidem exceptis singulis cum computaverimus, ad vv. MCCC exstare videbimus in eis, quae ad nostram durarunt aetatem, Plauti comoediis. Cf. Mus. Rhen. t. XXVI, p. 621, adn. 51.

Sed antequam ad regulas legesque huius versus transeam exponendas, pauca de ratione huius quaestionis praemittere mihi liceat Nam si in unaquaque re in singulos versus et ubique dissipatos vellem accuratius inquirere, haud parva inde evaderet mora atque confusio. Etenim permulti ex coniecturis eisque saepe satis incertis vel dubiis versuum descriptionibus orti sunt. Qua de causa universe in eis versatus sum fabulis, ubi per scenas continuas vel per maiores dumtaxat scenarum partes hi versus fluunt, ita tamen, ut in gravioribus quaestionibus, quibus universa uti materia bono esset usui, dispersos quoque illos adhiberem. — Iam ad institutum pergamus.

I. De Caesuris.

Septenarius iambicus est tetrametrus catalecticus, compositus ex dipodiis duabus acatalecta et catalectica, cuius caesura legitima est post pedem quartum sive dipodiam priorem. Apud comicos autem Graecos, qui saepissime eum usurpant — nam poetas tragicos omnino verisimile est numquam hoc versu usos esse — apud illos igitur cum sit synartetus, Latini eum voluerunt fere asynartetum esse. Et Plautus potissimum maxima abundat exemplorum ubertate; Terentius vero quamquam ne hic quidem prorsus reiecit asynartetam versuum horum formam, at parcius tamen istam admisit licentiam (cf. Hermann. elem. doctr. metr. p. 150; J. Krauss. N. Mus. Rhen. t. VIII, p. 533 sqq.). Potest igitur postrema prioris dipodiae syllaba brevis esse et synaloephe contiguarum in utraque dipodia vocalium neglecta, quo facto nascitur hiatus. Quin etiam et hiatus et syllaba anceps saepissime in eodem versu leguntur coniuncta. Eandemque ob causam quartus pes, quippe in quo ordinis rhythmici finis sit, ante hanc caesuram legitimam sine ulla exceptione habet iambum sive pyrrhichium.

Sed ut cognoscatur, quot fere versus syllabam ancipitem et hiatum habeant, satis opinor erit ex una fabula exempla colligere, velut ex Milite Glorioso. Et illa quidem, quae syllaba utuntur brevi sine hiatu, perpauca sunt, si eorum sequimur sententiam, qui, cum principio quidem plurimi verborum exitus longas habuerint vocales, multa eius rei vestigia etiam apud Plautum conservata exstare arbitrentur. Quod verum esse libenter concedimus, ita tamen, ut in diverbiis dicamus secundum sermonis communis consuetudinem hos exitus iam tunc fere semper pro brevibus esse usurpatos*), in talibus vero versuum locis facillime potuisse pristinam recuperare longitudinem. Sunt igitur huiusmodi exempla haec:

Mil. 355 ‚sis súbdola. | :: Cedo vél —‘
414 ‚flúctibus | ubi —‘
422 ‚tecúm loquor | :: Immo —‘
912 ‚ancíllula | tua abs té —‘
927 ‚cetera | ni —‘
936 ‚bene rém gere at | ego núnc —‘
1229 ‚cópia | quem amó‘ —

*) Velut A brevis est in hoc versu: Mil. 302 ‚Salve, árchitecte :: Sálva sis. Sed díc mihi, ecquid híc te. —

1235 ‚elegántia | meam —‘
1241 ‚vívere | sine illó —‘
1250 ‚occlusást foris | :: Exfringam — (sic Ritschelius, codd. ‚occlusae sunt foris‘ [CD] ‚eccluse sunt foris‘ [B]).
1275 ‚vívere | volt átque —‘
1283 ‚vídelicet | accérsit —‘

In eadem autem fabula, quae hiatum habent atque syllabam sive longam sive brevem, inveniuntur haec:

Mil. 358 ‚rém gero : | habeo aúris —‘
370 ‚viderim | :: Ego (sed dubius est hic locus)
396 ‚probri | impúne esse‘ — (sic Hermannus; codd. ‚falso impune‘ sine ‚esse‘ ubi ‚falso‘ aperte ex Amph. 888 irrepsit:

‚Non édepol faciam néque me perpetiár probri Falso insimulatam, quin‘ cet. —*)

In quo tamen loco cum item ‚esse‘ desit, melius erit scribere ‚probri | impúned insimulátam‘).

Mil. 397 ‚gésserim : | ita dórsus —‘
399 ‚óstium | ubiubíst —‘
415 ‚Palaéstrio | :: Eho Scéledre —‘

At tollatur ex hoc numero oportebit v. 878, ubi Ritschelius: ‚insipiéntia | insúlsitasque hercle haec sit‘; Soph. Buggius in Philol. t. 30 (1870) p. 646: ‚insip. mecástor maxuma haéc sit.‘ Nimis enim dubia huius versus emendatio est.

908 ‚té volo | esse ádsimulare‘ (‚esse‘ Ritschelius interposuit).
928 ‚in med impónito | :: Age ígitur-‘ (ubi tamen forsitan scribendum sit ‚imponitod‘ cf. Ritschelii nov. excurs. Plaut pp. 41. 102).

Sed v. 932 Ritschelius l. l. p. 68 nunc optime restituit revocando ‚tuad‘

1216 ‚mílitem | :: Ubíst? —‘
1226 ‚cópia | adeúndi —‘
1228 ‚grátiam | eandémque —‘
1236 ‚habe animúm bonum‘ | :: Ut ípsa‘ — (sic Bothius, codd. ‚bonum animum habe‘)

---

*) Kochium video in nov. ann. t. 101, p. 62 codd. lectionem integram velle servatam.

Mil. 1239 ‚dúcere | uxórem —‘
1267 ‚Vós volo | :: Et nós te —‘
1269 ‚ne óderim | item ut álias —‘
1273 ‚Víri quoque | armáti —‘ (‚quoque‘ hic non bene potest seiungi a ‚viri‘. cf. Ritschelii nov. exc. Plaut. p. 43).

In tanta igitur exemplorum abundantia nemo, opinor, negabit hiatum sine ulla dubitatione a poëta esse hoc loco admissum, quippe qui eo minus hic habeat offensionis, quia est in sublatione. — Sed mentione etiam digni videntur duo vv., in quibus membra vocum quodammodo compositarum caesura dirimuntur: Curc. 122 ‚Cloácam :: Tace, nolo huíc male | dicí :: Faciam igitur pótius‘ (alterum ‚male‘, quod etiam ante ‚potius‘ codd. praebent, nihil nisi glossema est). Et:

Epid. 369 (Gepp.) ‚Nimis dóctus illest ád male | faciúndum :: Med quidem cérto‘.

Videmus igitur in Milite inter septenos fere versus singulos habere hiatum vel syllabam ancipitem in eademque ratione reliquae quoque versantur omnes comoediae. Ceterum quod Bentleius, ut apud Terentium syllabam hanc ancipitem hiatumve removeat, pedem quartum esse vult tribrachum (cf. ad Eun. II, 2, 36. Hec. V, 2, 18), rhythmum fundamentaque versus funditus pervertit.

Sed fit interdum, ut pes quartus ne in hac quidem caesura legitima sit purus ac severus iambus. Et litera S neglecta est his locis:

Mil. 1278 ‚Aedés dotales húius sunt —‘

Asin. 427 ‚Nihil ést: tamquam si claúdus sim —‘

Truc. I, 2, 52 ‚Procáciores éstis vos, sed illí periurióres (sic Kiessling, in Nov. ann. t. 97 (1868) p. 625; codd. ‚periuriosi‘).

ib. I, 2, 85 ‚Per témpus subvenístis: sed quid ais —‘, quem versum Kiessling. l. l. p. 615 non in dubium vocat, Kraussius autem Mus. Rhen. t. VIII, p. 536 plane putat falsum. Sed quamvis facile sit scribere: ‚subveníitis: sed —‘ (cf. Ter. Andr. IV, 4, 44 ‚per tempus ádvenis‘), tamen nihil mutandum est. Cf. Bacch. 313 in exitu senarii: ‚occidístis me‘, de omni autem hac licentia Rud. 103 ‚sálvos sis‘ Bacch. 786 et 856 ‚quális sit‘, quos versus censeo invicem se fulcire.

Denique quod Rud. 314 Fleckeisenus scripsit: ‚[Ingénuom] dum hic adstátis [vos] —‘, tametsi valde placet tota versuum horum gravius corruptorum restitutio, tamen certum inde exemplum sumi haud poterit. Merc. 529 autem, ubi unus B ‚cui' sum‘ praebet, recte ex re-

liquis receptum est ‚quoia sum'. Restant tres loci, de quibus paulo difficilius est diiudicare:

Mil. 1231 ‚Spero íta futurum. quámquam illum | multaé sibi expetéssunt. Hic igitur usitatissima pronominis ‚ille' correptio in istum quoque pedem illata est, id quod ab elegantia sane longe abhorret, verum tamen aliquam saltem habet excusationem.

Deinde Rud. 376 apud Fleckeisenum legimus: ‚Scivi lenonem fácere istuc, quod fécit —.' Ubi cum codd. B. C. D. habeant ‚facere hoc', quod Geppertus videlicet hiatus illius captus dulcedine pie servavit, dubia videtur haec mutatio, quamvis per se minime repudianda. Nec tamen quicquam potui excogitare, quod videatur certius.

Iam vero tertius locus, Truc. I, 2, 61, multo etiam maiorem habet difficultatem. Ibi enim codd. praebent: ‚Sed blánde, quom illuc, quód apud vos | nunc ést, apud me habérem'. Et Hermannus quidem elem. p. 156 non offendit in hoc versu neque Spengelius eum addubitat. At Kraussius l. l. p. 536 confidenter tantam improbat licentiam et Geppertus ita invertit ordinem verborum: ‚illuc, núnc quod est apúd vos —.' Quos censeo non iniuria locum iudicare corruptum eumque fortasse sic posse sanari: ‚sed blande, quom ĭllue, quod vós apud nunc ést, apud me habérem.'

Reliquum est, ut complures locos diiudicemus dubios, falsos emendemus. Et primum quidem Rud. 1300 apud Geppertum omnino non versus est; scribit: ‚Nam hóc quidem pol é robigine, nón e ferro fáctumst.' Recte Bothius et Fleckeisenus: ‚Nam hoc quídem pol é robígine, non ést e ferro fáctum.' — Merc. 528, ubi B habet: ‚neu frustra sis', C D ne tu frustra sis,' scribendum est: ‚nei tu frústra sis,' non quod Bothius et Ritschelius receperunt: ‚nei frustrá sies;' etenim in hac formula ‚frustra' semper habet A correptam, quod primus invenit Usener (cf. Bergkii Beitraege zur latein. Gramm. p. 82; Brixii praef. ad Trinummum p. 18). — Asin. 556, ubi codd. praebent: ‚id virtute huius collegae,' optimum videtur Fleckeisenum sequi, qui scribit: ‚Virtúte id collegae húius [mei] —.' Cf. Most. 33 ‚virtúte id factum tuást —.' Bothius legit: ‚virtúte id collegae húius est —', Hermannus elem. p. 152 ‚id vírtute huius cóllegaest,' quo nihil proficitur. — Asin. 730 Hermanno assentior, quem et Bothius et Fleckeisenus secuti sunt sic scribentem: ‚Nec quíd dicatis, scíre nec me quór ludatis, póssum' (codd. ‚N. q. d. nec me cur lud. sc. possum,' Reizius:, — dicatis meve cur lud. sc. p.'). — Poen. 1234 (Gepp.) Hermannus emendavit scriben-

do: ‚ei praédicabo, quómodo vos fúrta facitis múlta‘ (codd. ‚faciatis‘); ib. 1254 optime idem restituit: ‚nam vóstra nutrix príma me cognóvit‘ pro ‚primum me‘, quod ipsa loquendi consuetudo respueret; eandemque coniecturam nuper A. Luchsius in Hermae t. VI p. 273 iterum protulit. — Asin. 711 autem, ubi codd. praebent: ‚quid nunc quoniam amabo (ambo) ut est libitum, nos delusistis‘, Bothius ex parte secutus Pareum scripsit: ‚Quid núnc, quoniam ambo nós, ut est libitum, ámbo delusístis‘, cum Fleckeiseno magis placuerit sic versum restituere: ‚Quid núnc, quoniam ambo nós, ut est conlúbitum, delusístis‘. Sed lenissimam apparet esse Seyfferti emendationem huius loci in Philol. t. 27 (1868) p. 440 propositam: ‚Quid núnc, quoniam [ambos] ámbo, ut est lubitúm nos delusístis.

Denique ne hoc quidem videtur omittendum esse, in hac caesura adeo nullam haberi rationem verborum consecutionis perpetuitatisque, ut etiam pronomina et praepositiones ab eis, ad quae pertinent, vocabulis divellantur. Cf. Asin. 574 ‚tua | durítia‘. 644 ‚quod | faciámus‘ 659 ‚líberas | te‘, alias. — — — Longe vero aliter res se habet in altera caesura eaque rariore, quae est post anacrusin quinti pedis iambici, ‚ut unam partem iambicus versus expleat dimeter hypercatalectus, alteram trochaicus dimeter brachycatalectus‘. Cf. Reisigii Coniectan. in Arist. lib. I, cap. 3, p. 117 sqq. Atque invenit hanc caesuram, quam vocat trochaicam Reisigius, G. autem Hermannus elem. p. 152 seqq. in ea quarti pedis severitatem vidit esse neglectam et posse iam vel spondeum vel dactylum iambi vicem praestare; nam anapaestum quoque admisisse hoc loco Plautum quidem nego, utpote cuius nullum exstet certum exemplum. Terentium vero hunc quoque pedem coepisse usurpare ex exemplis apparet haud paucis. Iam Kraussius l. l. p. 542 recte vidit versus hac caesura incisos inveniri apud Plautum vix viginti, etiamsi dispersos quoque illos adhibueris. Quos omnes enumerare longum et supervacaneum est: satis erit ex continuis scenis exempla colligere. Sunt autem haec:

Asin. 599 ‚Intérdius negótiosus: vídelicet Solónem‘ (codd. ‚negotiosus interdius‘, pauci etiam ‚Solon est‘) Sed ib. 689 malim scribere: ‚O Líbane, mihi, patróne mi, trade ístuc: magis decórumst‘ (codd. ‚mi patrone mihi‘. Cf. Men. 183. Most. 336 ‚anime mi‘.) Itemque eximendus est ex hoc numero Asin. 718, ubi codd. hunc testantur ordinem verborum: ‚Licĕt laúdem Fortunám, tamen | ut né Salutem cúlpem;‘ quem versum non bene Fleckeisenus sic scribit ac metitur: ‚Li-

cét Fortunam laúdem tamen ut né Salutem cúlpem'. Illius autem vorsus loco accedit Asin. 720, ubi metiendum est: ,Opta íd, quod ut contíngat tibi vis | :: Quíd, si optaro? :: Evéniet (Bothius delevit ,ut' praeter omnem necessitatem; Fleckeisenus minus bona hac utitur mensura: Opta íd, quod út contingát tibi | vis - '). — Denique Asin. 492 puto scribendum esse: ,Meritó meo neque mést Athenis álter hodie quísquam'*) (BD ,me athenis alter est hodie'). Cf. Aulul. II, 2, 29 ,Néque illo quisquamst álter hodie ex paúpertate párcior'; Rud. 1281 ,Quis mést mortalis míserior, qui vívat alter hódie'. Bothius et Fleckeisenus: ,Mer. meó neque me álter est Ath. h. qu.'

Deinde Rud. 318 ,Tortís supercilíís, contracta frónte, fraudaéntum.'

ib. 329 ,Eadém, sacerdos haéc Veneria sí quid ampliús scit' (cf. v. 644 ,sacerdos Véneria'). Codd. ,eadem hanc sacerdos Veneria si - '; Bothius in edit. III: ,Eadém sacerdotem hánc Veneriam —;' Fleckeisenus: ,Eadem [ópera], Veneria haéc sacerdos —.'

ib. 349 ,Capitalique ex períclod orbas aúxilique opúmque huc' (codd. ,periclo'; Fleckeisenus ,— periculo orbas')**)

ib. 700 ,[Ne invísas] habeas néve iccirco nóbis vitio vórtas.'

ib. 1296 ,Ad Grípum ut veniat. Nón feretis ístum ut postulátis'.

Curc. 526 ,Dum mélius sit mihi, dés :: Dabuntur; crás peti iubéto'.

Denique Asin. 432 ,Mea caúsa ut mittas :: Ého, [Coriscus] pró vectura olívi' nomen illud ,Coriscus' in sola positum est coniectura (codd. ,ecquis'). — Invenimus igitur in versuum horum pede quarto et dactylos, ut Asin. 720, et tribrachos, ut Rud. 329, et spondeos, ut Rud. 318. 349. 700. Sed tamen hic quoque longe maior est numerus iamborum. Cognoscimus autem ex omnibus ad unum exemplis, quod primus Reisigius animadverterat (Coniect. in Arist. c. 3, p. 118), trochaicam hanc caesuram artioribus esse adstrictam legibus, quam iambicam in observando sermonis contextu.

Iam ne quis opinetur facile augeri posse numerum eorum, quae attulimus, exemplorum versibus eis, ubi in quarta arsi desinens voca-

---

*) Video idem iam Kampmannum de re mil. p. 29 suasisse.

**) ,periculo' Kampmannus defendit de re milit. p. 21. Et concedendum est per se nihil inesse offensionis in pleniore forma hoc loco versus usurpata.

bulum elisione ultimam syllabam amittat, hi longe seiungendi sunt ab exemplis caesurae trochaicae ideo, quod elisione vocalis non impeditur caesura, sed, si illa non elideretur, nihil ad legitimae caesurae elegantiam deesset. Cf. Ritschelii Proll. pp. CCLXXIV et CCLXXXII. Repperi exempla eiusmodi haec: Asin. 469 ‚Nemo áccipit: te aufer domum, abscede hínc; molestus né sis‘ (codd. ‚aufer te;‘ scribo ‚te aufer‘ ut falsum illum removeam dactylum. Cf. Rud. 1032 — ‚te, óbsecro hercle, aufér modo‘). Hic igitur incidendum est post ‚domum‘, non post ‚absced(e).‘

ib. 502 ‚Fortásse :: Atque etiam tú quoque ipse si ésses percontátus,‘

Rud. 309 ‚Sed quós perconter, cómmode eccos vídeo adstare: adíbo‘ (B ‚ecconsi video,‘ C ‚ecconsuideo‘).

ib. 380 ‚Dies nóctisque: in custódia esset sémper. verum ecástor.‘

ib. 701 ‚Si quídpiamst minus quód bene esse laútum [tu] arbitrére (sic Fleckeisenus; Bothius: ‚— quód bene | nunc laútum esse —‘).

Mil. 359 ‚Credo égo istoc exempló tibi esse péreundum extra pórtam.‘

ib. 1242 ‚Prohibéndam mortem múlieri [esse] vídeo. adibon?: Mínume‘.

ib. 1272 ‚Levándum morbum múlieri [esse] vídeo:: Vide ut extímuit. (Sequor in his versibus restituendis Ritschelium).

Most. 220 ‚Eundem ánimum oportet núnc mihi esse, grátum ut impetrávi‘.

Curc. 499 ‚Itém genus est lenónium inter hómines meo quidem ánimo.‘

Ep. 352 (Gepp.) Is adórnat, adveniéns domi extemplo út maritus fías.‘

ib. 355. ‚Devéniam ad lenoném domum egomet sólus. eum docébo‘ (codd. ‚eum ego docebo‘; ‚ego‘ delerunt Bothius et Geppertus).

Poen. 1220 (Gepp.) ‚Sed illúc quidem volui deícere — immo díxi quod volébam‘ (‚deicere‘ A; ‚dece‘ B, ‚hercle‘, quod A ante ‚dixi‘ habet, B post idem hoc verbum, delevi; Geppertus totum versum sic scribit: ‚Sed illúc, quod volui —:: Deíce:: Immo hercle díxi quod volébam‘).

ib. 1238 ‚Quin éloquar?:: [Enim] cénseo hercle, pátrue:: Misera tímeo‘ (A post ‚eloquar‘ lacunam habet, si credere licet Gepperto,

quattuor literarum, quam explevi inserendo ‚enim'. Cf, Epid. |684. Pers. 612. Trin. 1134, al.).

Quod igitur de istis versibus diximus elisione non impediri caesuram legitimam, idem in trochaicam quoque cadit in his duobus exemplis: Asin. 583 ‚Nimis aégre risu mé continui, ubi hóspitem inclamávit' (sic optime Hermannus elem. p. 154; codd. ‚risum continui') et

Rud. 386 ‚Sed dúce me ad illam. ubíst? :: I sane in Véneris fanum huc íntro'. Etenim hic incidendum est non post ‚ub(i)' aut ‚in', verum potius post ‚continui' et ‚sane', ut optima inde evadat caesura trochaica. —

Sed Kraussius l. l. p. 544 invenisse sibi videbatur versus eiusmodi, qui nullam omnino haberent incisionem, verum synartetorum instar formati essent. In quibus has valere leges proposuit:

1) Caesurae inopia longis ponderosisque vocabulis ita compensatur, ut incipiant ab arsi quarti pedis, i. e. ut una syllaba in priore dipodia, ceteris in altera posita sint.

2) Haec autem longa vocabula primam literam oportet habere vocalem sive H, quae cum antecedente vocabulo eodemque in vocalem sive in M cadente synaloephe artissime confunditur, quo facto totus versus quodammodo in unum coaluit.

Iam octo enumerat exempla, quae apud Plautum conquisivit. At vero si diligentius hos versus consideremus, statim fit perspicuum illum in merum incidisse errorem. Etenim ei ad unum omnes tantum abest, ut careant caesura, ut habeant legitimam usitatissimamque, obscuratam tamen elisione vocalis illa, quade supra commemoravimus. Sunt autem hi:.

Asin. 733 ‚Hoc árgentum ad te:: Ut témpore opportúneque adtulístis' (‚hoc' ex versu praecedente in initio huius positum est).

Mil. 1221 ‚Placide, ípsi dum lubitúmst mihi, otióse, meo arbitrátu' (‚ipse' BCD — fortasse scriptum fuit ‚ipsei' — ‚me arbitrii' B, deinde omnes codd. extremo in versu ‚ut volui', quod manifestum glossema est. Cf. Muelleri Prosod. Plaut. p. 290; ‚ipsa' voluerunt scriptum Reizius et Fleckeisenus epist. crit. XXVII).

ib. 1246 ‚Nam núlli mortalí scio obtigísse hoc nisi duóbus'.

Rud. 366 ‚[De] návi timidae ambae ín scapham insulúimus, quia vidémus.'

ib. 397 Credo áliquem immersísse átque eum excepísse:: Id misera maéstast.

ia. 1322 ,Quid dáre velis, qui istaéc tibi investíget indicétque.' Most. 183 ,Quid aís, scelesta? quómodo adiurásti? ita ego istam amárim'.

Denique Poen. 1218 ,Ite ín ius; ne morámini:: Antestáre me atque dúce.'

Quodsi his in versibus nihil viderimus esse insoliti, iam non mirabimur, qua tandem fortuna fieri potuerit, ut numquam spondeum, dactylum, anapaestum inveniamus in pede quarto, semper purum iambum. Nam in synarteta ea, quam Kraussius voluit, conformatione, cum prior dipodia desineret esse ordo rhythmicus plenus atque integer, illi pedes ne hoc quidem loco ullam haberent offensionem. Ita vero cum res se habeat, Gepperti ad Cas. 593 coniectura ipsa per se vel maxime dubia prorsus est repudianda, cum scribat ille: ,Verum óbsecro, dic me úxorem imploráre ut illam exóret' (codd. ,orare' pro ,implorare' et ,exoret illam'). —

Sed quoniam, quae ad duplicem septenarii iambici caesuram pertinent, omnia mihi videor exposuisse, sequitur ut ad alteram rem transeamus gravissimam eandemque haud ita facilem diiudicatu.

II. De verborum accentus cum numerorum rationibus consociatione.

In hac quaestione cum volumus errores evitare eos, qui saepe ex nimia manant severitate, vel maxime interest, ut ab eis septenariis, qui scenas efficiunt continuas, versus illos in canticis dispersos quam diligentissime distinguamus. Etenim hi tantum abest, ut illorum adaequent conformationem puram atque severam, ut nonnulla hic habeant aliquam excusationem illic haud parvae futura offensioni. Atque universe imprimis hoc tenendum est, quod Ritschelius Proll. p. CCVII posuit ,cum quantitatis eius, quae in vetere comoedia usitata fuerit, severitate summa accentus observationem, quoad eius fieri posset, conciliatam esse'. Sed ut ordiamur a pedibus quarto et tertio artissime cum illo iuncto, iam supra diximus quartum pedem esse in legitima quidem caesura semper purum iambum (sive pyrrhichium) item ut sextum pedem senarii; tertium autem pedem mox viderimus quinto senarii accuratissime respondere excepta una re, de qua erit infra pluribus agendum. Hic igitur pes incredibili abundat multitudine varietateque

formarum, cum vocabula habere possit spondiaca, cretica, molossica, ionica, choriambica, anapaestica, alia, velut:

Merc. 499 ;operám dedi'
ib' 501 ,stulté facis'
ib. 531 ,servatúr fides'
Pers. 294 ,eveniánt volo'
ib. 297 ,moderareí queam'
ib. 315 ,immaturám secem'
Asin. 419 ,conterám tua'
ib. 573 ,amicó tuo' (cf. ib. 386; Truc. I, 2, 48. 65; Stich. 682; Rud. 379'.
Asin. 587 ,laciniá tenet'
Rud. 363 ,anancaeó datum'
ib. 1282 ,récuperatorés modo'
Epid. 344 ,dinumeraví pater'

(hunc v. quamvis haud ignorem subditicium esse — cf. Proleg. p. CLVI — tamen licebit eius exitus exemplum ab eo petere, cuius casu et fortuito nullum exstat alterum).

Et maxime quidem hic pes redundat vocibus spondiacis, quae inveniuntur in versibus circiter octoginta. Velut in Asin. 384 ,frangít'. 393 ,dicám'. 412 ,magnó'. 414 ,summúm'. 421 ,unám'. 428 ,unúm'. 437 ,fecít'. 458 ,nostér'. 463 .credám'. 471 ,magnó'. 476 ,audés'. 493 ,aequé'. 500 ,solús'. 569 ,furtó'. 602 ,frugí'. 605 ,finém'. 607, quantúm'. 621 .vobís'. 623 ,salvé'. 624 ,viní'. 650 ,servós'. 685 ,factúm'. 702 ,istí' 744 ,matér'. 745 ,intró'. — Omnino hoc loco versus ponderosa videmus verba praeferri, qua de causa molossica vocabula reperimus fere sexagies usurpata ut in Mil.

359 ,exempló,	1246 ,mortalí'
373 ,maiorés'	1250 ,occlusást'
424 ,vicinós'	1268 ,eduxí'
903 ,praeceptís'	1273 ,adspexít'

1277 ,exegít'.

Anapaestica autem longe sunt rariora: circiter viginti exstant in ,cenis quidem continuis, veluti Merc. 499 ,operám dedi'; Pers. 289 utinám vades'; ib. 290 ,etiám scelus'; ib. 303 ,animúm bonum', saepius. Choriambicorum denique vocabulorum exempla ex omnibus fabulis non lura potui reperire tredecim. Quae sunt haec:

Mil. 408 ,stultitiá' Asin. 673 ,benfició'

ib.	1257	‚propterea´‘	ib.	721	‚perpetuóm‘
Asin.	416	‚imperiúm‘	Pers.	294	‚eveniánt‘
ib.	430	‚intereá‘	Curc.	491	‚adsererét‘
ib.	481	‚suppliciúm‘	Epid.	328	‚officiúm‘
ib.	608	‚immeritó‘	ib.	352	‚adveniéns‘

Epid. 370 ‚consiliís‘.

Sed, cuius supra mentionem fecimus, una in re tertius septenarii pes discedit ab similitudine quinti pedis senarii, cum maiorem etiam exhibeat severitatem. Quemadmodum enim quintus pes senarii, quamquam raro, at potest tamen constare ex vocabulo iambico (cf. Trin. 533 ‚agér fuit;‘ ib. 598 ‚malám crucem‘), ita in septenario hoc confidenter pernegandum est. Qua in exceptione congruit cum septenario trochaico (cf. Proll. p. CCXXXII). Codd. enim non amplius duo praebent certa exempla: Asin. 654 ‚Has égo, si vis, tibí dabo :: Di té servassint sémper‘, ubi vel productio ultimae syllabae vocis ‚tibi‘ minime adhuc demonstrata offensioni est. Et recte fortasse Fleckeisenus scripsit: ‚Has égo, si vis, [nunc] tíbi dabo —‘.

Alterum exemplum est Mil. 374, ubi A habet: ‚Non mihi possunt minis tuis hisce oculis exfodiri‘, B ‚non possunt mihi minaciis tuis hisce oculis fodiri‘, quem ex parte secutus Ritschelius ita hunc versum restituere voluit Opusc. II p. 651: ‚Non póssunt mihi minís tuis hisce óculis exfodíri‘.

Scribendum potius est:

‚Non míhi minis possúnt tuis hisce óculis exfodíri‘.*)

Mira hoc loco, ut saepius Muelleri ratio est (Pros. Plaut. p. 215 sq. not.), qui nihil nisi mendum esse illud ‚oculis‘ arbitretur. Equidem cras credam tale mendum per omnes ad unum codices duarum recensionum earumque inter se diversissimarum potuisse permanare. Nec ‚minaciis‘ puto hic omnino posse ferri, quamquam nolim negare verbum esse vere Latinum (cf. Haupt. in ind. lect. aest. Berol. 1856, p. 10); sed ab nostro versu removendum est, ne ‚oculi‘ prorsus in thesi opprimantur. Ceterum de collocatione verborum cf. Merc. 151 ‚— quí me rupi caúsa currendó tua‘. Oxytonesis autem trium verborum subsequentium valde grata est usitataque, ut Mil. 422 ‚taces? tecúm loquor‘; Most. 228 ‚bonam famám mihi‘, Pers. 313 ‚mala tangít manu‘; Curc.

*) Eo facilior haec verborum transpositio est, quia in ipsis codd. dubiam esse v. ‚possunt‘ collocationem videmus.

521 ‚bonae frugí sies'; ib. 528; Epid. 337; Asin. 391, 393, 458, 463, saepius. — Mil. 1259 autem quod Ritschelius in textum recepit: ‚Nasó pol iam haec quidém videt plus quam óculis :: Caeca amórest', haec collocatio verborum nititur sola coniectura Camerarii: codd. omnes habent ‚plus videt'. Forsitan igitur hic versus revocata vetere forma ‚quamde' sit restituendus ita: ‚Nasó pol iam haec quidem plús videt quamde óculis :: Caeca amórest.' (Cf. Bergkii Beitr. z. lat. Gramm. p. 134). Possimus tamen etiam conicere: ‚— quam oculís :: Amore caécast' vel ‚— quam oculís :: Caeca ex amórest' (cf. Merc. 325 ‚éx amore insánit', ib. 443 ‚Sánus non est éx amore illíus'; ib. 446, 447). Sed ne quis mihi credat Poen. 1223 quoque esse exemplum assumendum, hoc vereor ne nostram sententiam adiuvet, non impugnet: Ritschelius in Parergis p. 382 primam verbi ‚latrandi' syllabam ait principio quidem longam postea demum videri correptam esse. Ceterum propter oppositum in eodem versu ‚adludiato', ut figura annominationis evadat, malim id, quod Geppertus dicit exstare in cod. Paris., ‚adlatrant', ut versus legatur hic: ‚Etiám me meae adlatránt canes? :: At tu hércle adludiáto'. — Quapropter iambica vocabula cum ex hoc loco censeamus esse amovenda, hoc tamen oportet concedamus cretica hic re vera, quamvis raro, esse usurpata. Quorum exempla haec sunt:

Asin. 419 ‚Qui látera conterám tua —'

Mil. 913 ‚Quem pórro' (sic Ritschelius) ‚ego militi darem' —

Most. 164 ‚In péctus perpluít meum —'

Pers. 777 ‚Bene éi, qui invidét mihi —'.

Huc licet etiam referre:

Rud. 399 ‚Ut eam íntro consolérque eam —' et ib. 683 ‚Nisi quíd re praesidi ádparas —' (sic Fleckeisenus, codd. ‚praesidium') Rud. 308 autem Geppertum nescio cur ordinem verborum hunc constituerit: ‚Me huc iússit obviám sibi —', cum codd. habeant: ‚Me huc óbviam iussít sibi —'. Aliquid igitur hoc quoque facit momenti, ut quanto opere Plautus in pede tertio iambica devitaverit vocabula, intellegamus.

Atque totum contra est in pede secundo, qui rursus eidem pedi senarii omnibus partibus accuratissime respondet. In quo universe quidem nullis vocabulis locus est nisi iambicis, quae saepissime inveniuntur, ut Mil. 356 ‚malas'. 369 ‚vident'. 396 ‚quidem'. 413 ‚locis'. 2896 ‚decet', alias, neque tamen aut spondiaca aut anapaestica prorsus exclusa sunt habentque aliquam excusationem, dummodo maiore ante ea distinctione facta versus intermittat eoque molestia leniatur. Quod fieri videmus

Asin. 427 ,Nihil ést: tamquam si cláudus sim, cum fústist ambulándum' praeterquam quod ,tamquam' vox est composita. — Itemque Asin. 499 ,Fortásse:: Etiam nunc Périphanes Rhodó mercator díves', (quod ,dico' post ,nunc' in codd. Parei legitur, glossema est), ubi insuper personarum fit mutatio. — Nullam deinceps adferunt dubitationem Curc. 516 ,Lucó, numquid vis?;: Béne vale:: Vale:: Heús tu, tibi ego díco', quamvis prompta ibi sit transpositio: ,Numquíd vis, Luco? —'. Cf. infra v. 525 ,Numquíd vis, leno? —', — nullam Truc. I, 2, 55 ,Postrémo illi sunt ímprobi, vos [né]quam et gloriósae', ubi, ut creberrime, ,illi' primam syllabam habet correptam — nullam Cist. I, 1, 51 ,Sempérque istam, quam núnc habes aetátulam obtinébis'. Stich. 675 autem, qui in codd legitur: ,Quid ego hínc, quae illic habito, éxeam —', Ritschelius recte ,huc' ante ,exeam' inseruit.

At enim vero falsus est Asin. v. 421 ,Quoi númquam unam rem mé licet —', ubi Fleckeisenus scripsit: ,Quoi númquam rem me unám licet —'; possimus etiam: ,Quoi númquam me unam rém licet —;' falsus est Pers. 282, quem Ritschelius codicum secutus auctoritatem sic scribit: ,Caedére hodie tu restibus'; legendum potius erit verbis lenissime transpositis: ,Caedére tu hodie réstibus —'. — Sed aliquam fortisan habeat excusationem Pers. 847 ,Malúm vobis dabo:: At tibi | nos —',qui fere solus in medio exstat cantico: quamquam facile Plautus vel ,Vobís malum dabo:: At —' vel ,Malúm dabŏ vobis:: At —' potest scripisse. — Deinde falsus est Asin. 571: ,Ubi erís damno, moléstiae et dedécori saepe fúeris': scribo cum Bothio: ,Ubi erís damno [et] moléstiae —'. Cf. Curc. 501 ,Odio ét malo et moléstiae —'. Falsus vero est Asin. 449, ubi Pareus habet: ,Quam mox mihi operam das?:: Ehem optume. quam dudum tu advenisti', Bothius: Quam móx mi operam das? Hem óptume —', ubi cum ,hem' prorsus synaloephe oppressum, tum ,operám' valde displicet. Recte autem Fleckeisenus vidit ,das' esse glossema versumque ita restituendum: ,Quam móx mihi operam?:: Ehem optume —'. Paulo difficilior est locus Epid. 329, ubi quae Gepperto placuit mensura: ,Per hánc curam quietó tibi licet ésse —' aperte falsa est. Idemque cadit in Muelleri coniecturam scribentis (Prosod. Plaut. p. 277):,Per hanc cúram tibi licét quieto esse. hóc quidem iam périit', iambicam igitur vocem in pedem tertium inferentis,Bothius autem sic transposuit verba ,Per hánc curam esse tíbi licet quiéto. hoc quidem iam périít'. Nunc Fleckeisenus in nov. ann. tom. 101, p. 76 demonstravit saepius inveniri synizesin in voce ,quietus' similibusque, qua de causa

versum metitur hac ratione: ‚Per hănc cúram quiēto tíbi licet esse. hoc quidem iam périit. —‘*)

Deinde Most. 192 codd. habent: ‚Di deaéque omnes me péssumis exémplis interfíciant‘, excepto Ba, qui ‚me‘, omittit. Et ‚omnes‘ quidem hoc loco versus per se nihilo plus habet offensionis, quam ‚illi‘ (Truc. I, 2, 55), similia, quia saepissime corripitur. Cf. Ter. Hec. I, 2, 119 ‚Habés omnem rem: pérgam quo coepi hóc iter‘ et ib. V, 1, 12 optimi codd. praebent: ‚Quo mágis omnis res caútius —‘. Cf. Ritschelii Proll. p. CCXXIII; Muelleri Prosod. Plaut. p. 367 sqq. Sed Fleckeisenus nov. ann. phil. t. 73 (a. 1856) p. 687 congestis omnibus ad unum exemplis exsecrationum docuit has verborum collocationes fuisse usitatissimas: ‚di me‘ (te) deaeque omnes‘ vel ‚me (te) di deaeque omnes‘, rariorem hanc ‚di deaeque me omnes‘; at huius: ‚di deaeque omnes me (te)‘ ne unum quidem invenitur exemplum; quod Lorenzius in notis criticis editioni suae adiectis p. 245 (extr.) prorsus perverse accepit. Qua de causa Ritschelium secutus hoc loco censeo legendum esse: ‚Di deaéque me omnes —‘ (cf. Pers. 292 ‚di deaéque me omnes pérdant‘).

Denique Most. 171 in codd. legitur: ‚Ut lepide omnis res tenet sententiasque amantum‘. Ubi ut hiatum tollerent, Ritschelius et Fleckeisenus ‚ea‘ inseruerunt post ‚lepide‘ (possis etiam ‚lepided‘); sed multo mihi magis placet Bergkii coniectura (ind. schol. Hal. 1858/59 p. VII): ‚Ut lépide omnis morés tenet —‘, qua vagum sane illud et frigidum ‚res‘ removetur.

Iam igitur restat ex priore dipodia pes primus, qui longe maximam exhibet vocabulorum varietatem nec tantum gravium ac ponderosorum, id quod volebat G. Hermannus, verum etiam, etsi non nimis saepe, iambicorum, veluti Asin. 699 ‚Vehés‘; Mil. 875 ‚Domí‘; ib. 1268 ‚Erám‘. Atque adeo duo deinceps inveniuntur iambica, ut Rud. 352 ‚Inést lepos‘; Asin. 681 ‚Virúm quidem‘; Epid. 338 ‚Decém minis‘. Verum tamen potissimum hic probantur vel spondiaca vel anapaestica, ut Asin. 391 ‚Clamát‘; ib. 424. 425 ‚Jussín‘; 498 ‚Frugí‘; 550 ‚Nervós‘ — ib. 394 ‚Nihiló‘; 418 ‚Utinám‘; 481 ‚Dabitúr‘; 492 ‚Meritó‘, saepius. Deinde, sed parcius etiam, quam in senario, dactylica quoque usurpantur, quorum haec repperi exempla:

---

*) Sed fateor ne sic quidem mihi magnopere versum placere, praesertim illud ‚hanc‘ prorsus in thesi delitescens.

Mil. 1258 ‚Nescío ubi hic prope adest —‘
Rud. 290 ‚Omníbus modis —‘
ib. 321 ‚Cum istíus modi —‘.

Neque enim quidquam impedit, quominus hic usitatam servemus formam ‚istius‘, quam Ritschelius (opusc. II, p. 690) in ‚isti‘ malit mutare (cf. Truc. V, 38 ‚istí modi‘ BCD). Huc referri etiam potest

Mil. 361 ‚Respícedum ad laevam —‘ et fortasse Cas 527 ‚Respíce modo ad me —‘, quamquam hos versus alii alio modo metiuntur. — Denique perinde ut in senario hic quoque voces exstant trochaicae eaeque et in primo et in secundo pedibus; neque binis post illas opus fuit syllabis brevibus, sed una sufficiebat. Exempla autem haec sunt:

[Pers. 298 ‚Nam umbrá mea‘]
Stich. 679 ‚Intér illud‘
Rud. 1327 ‚Millé dabo‘
Most. 235 ‚Iam istá quidem absumpta‘
Epid. 331 ‚Credé modo‘
Asin. 559 ‚Sicút ego‘
Poen. 1235 ‚Quoqué modo‘.

At omittendus videtur esse Poen. v. 1227, qui in codd. sic exstat scriptus: ‚Nosne tibi:: Vos, inquam:: Atque ego scio:: Quid id furtist?:: Hunc rogato‘, ubi facilius est ‚ne‘ in ‚nosne‘ delere cum Gepperto, quam ‚inquam‘ — Merc. 532 autem ‚Ille te homo‘ aut sic possumus metiri: ‚Íllé te homo‘ aut sic: ‚Ille té homo‘, ut proceleusmaticum statuamus; sed optimum erit Luchsii comprobare coniecturam: ‚Te illíc homo‘ scribentis (in Hermae t. 6, p. 279), quo facto octavum habebimus versum ab trochaico vocabulo incipientem. — Accedit unum secundi pedis exemplum:

‚Meum hércle illic homo vídulum scit, quí habet, ut ego opínor‘, quod quare in dubium vocemus, causam habemus omnino nullam (cf. Prolegom. p. CCXXXI). Atque hoc loco poteramus etiam de vocabulis agere pyrrhichiacis aliisque cum illis cohaerentibus; quae tamen magis in rem erit in extremo hoc capite exponere una cum eadem licentia dipodiae alterius. Sed ad hanc priusquam transgrediamur, reliqua una quaestio est eaque haud ita levis de vocibus in secundo pede molossicis, quarum exempla exstant plura:

Asin. 561 ‚Ubi fídentem fraudáveris, ubi ero ínfidelis fúeris‘.
Rud. 1284 ‚Nam lénones ex gaúdio credo ésse procreátos‘.

Curc. 502 ‚Nec vóbiscum quisquam ín foro frugí consistere aúdet‘.

Asin. 555 ‚Vi púgnando periúriis nostrís — euge — potíti‘.

Qualia versuum initia Ritschelius opusc. II, p. 686 sq. optimo iure iudicavit non minus esse intolerabilia quam voces spondiacas in pede secundo. Sed qua tandem ratione hos versus emendemus, vel maxime dubium est atque incertum. praesertim cum neque reliqui codd. ullam dent ansam neque A, quod Ritschelius, qua est comitate, mecum communicavit. Et Asin. 561 quidem ille hanc commendat versus emendationem: ‚Ubi fídum defraudáveris —‘ collato versu 568 ‚úbi sciens fidéli infidus fúeris‘. Rud. 1284 autem cum rectissime intellegeret ‚nam‘ non quadrare in contextum sermonis, lacunam statuit post ‚lenones,‘ quae fortasse sic potest expleri: ‚Lenónes [hercle] ex gaúdio —‘.

Deinde Curc. 502 minus habet offensionis, ideo quod ‚vobiscum‘ vox composita est; quod si quis negarit valere, facile mutari poterit ordo verborum: ‚Nec quísquam vobiscum ín foro‘ —. Neque tamen quidquam expedit eodem hoc uti remedio in Asin. v. 555, ubi Fleckeisenus nihil aliud quam verba invertit: ‚Pugnándo vi periúriis‘. Quod prorsus falsum est; nam semper legimus ‚vi pugnando‘ (cf. Mil. 266 ‚vi pugnandoque‘; Men. 1056 ‚vi pugnando ingratiis‘; Amph. 414 ‚vi pugnando‘). Fortasse ‚et‘ post ‚pugnando‘ inserendum est. — Denique non minus durum est initium Epid. v. 371 ‚Atque áliquanto lubéntius, quam abs té sum egressus íntus‘, ubi Bothius ‚ego‘ addidit post ‚aliquanto‘, equidem malim ‚id‘. Cf. Amph. 742 ‚in me ínclementer dícit, atque id síne malo‘. — — —

Quod quoniam spero me nihil praetermisisse in exponendis prioris dipodiae legibus, nunc veniamus ad alterius rationes catalecticae.

Quae quidem cum eisdem fere contineatur vinculis quibus illa prior, tamen omnes licentiae magis etiam contractae in angustumque deductae et pedes multo etiam severius compositi sunt. Sed hic quoque videbimus primos duo pedes eisdem senarii penitus respondere. Atque ut a primo ordiamur, cum iambica hoc loco inveniuntur vocabula cum spondiaca tum anapaestica et horum quidem trium generum exempla exstant paene totidem, ut in Milite et Persa:

354 ‚totiéns‘	376 ‚domó‘	367 ‚dixít‘
361 ‚muliér‘	905 ‚nihíl‘	424 ‚quicúm‘
368 ‚oculís‘	1218 ‚malás‘	890 ‚fiát‘
875 ‚fabricám‘	1248 ‚forás‘	891 ‚vobís‘

1227 ‚patiár'	Pers. 318 ‚famé'	1231 multaé',
1249 ‚aliquís'	322 ‚bovís'	1234 ‚mutént'
1268 ‚videó'		Pers. 289 ‚desínt'
Pers. 306 ‚graphicé'		296 ‚porró'

Ex quo apparet in hoc quinto pede voces iambicas multo esse crebriores quam in primo: hic plus quam quadraginta collegi exempla, ibi vix viginti. Sed dactylica quoque vocabula esse admissa non potest negari neque ulla eget explicatione vel excusatione, quippe cum hic initium sit novi ordinis rhythmici.

Velut. Mil. 1281 ‚Sed quíd ego video?:: Quíd vides?:: Nescío quis eccum incédit'. (cf. A. Luchs. in Hermis t. VI, p. 264 sqq.). Propterea Ritschelio non possum assentiri, qui Most. 746 ‚Patróne salve:: Níl moror mi istíus modi cliéntis' nullo modo arbitratur recte se habere ‚istíus' et scribendum esse ‚istí modi'.*) Nam dactylus optimo iure hic admittitur; ergo deest necessaria causa, quamobrem versum emendemus. Sed Poen. 1262 Geppertum codicum nixum auctoritate versus hanc retinuisse formam: ‚Nam aliós pictores níl moror huiusmódi tractare exémpla', vix potest probari; ‚exempla' redolere interpolationem non fugit Hermanni ingenium, ut scribendum sit ‚— huiúsmodi tractáre'. Itemque ne trochaica quidem vocabula ab hoc loco exclusa sunt, quae licentia, nisi quintus iste pes omnibus partibus adaequaret primum, prorsus intellegentiae nostrae vim atque rationem fugeret. Leguntur autem his locis:

[Mil. 1257 ‚fecít eam ut -']
Rud. 1308 ‚quicquíd erat —'
Pers. 46 ‚quicquíd erit —'

Quin etiam, ut in pedem secundum, ita in sextum quoque eadem invasisse bis videmus: Pers. 540 ‚Nullum ádulescentem plús amo:: Puer ést ille quidem, stúlta' et Ep. 173, ubi omnium codd. consensu legimus ‚Neque séxta aerumna acérbior Hercúlí quam illa mihi obiéctast', quod num recte Geppertus mutaverit in ‚illaec mi', magna est quaestio. Omnino hic sextus, quode nunc est agendum, notabilis est singulari conformationis severitate, cum ipsa iambicarum vocum oxytonesis, quoad eius fieri possit, devitetur. Itaque fit, ut vix viginti inveniamus exempla, velut Mil. 357 ‚procul', 363 ‚peri', 1258 ‚olet', 1265 ‚nepos'. Cf. Asin. 386. 573. 597. 672. 690. 719; Most. 238. 239; Rud. 1307

*) Opusc. II. p. 691.

‚marid‘ (Both.), alias. Quanto magis censebimus spondiaca vocabula ab hoc pede abhorrere? Nam Asin. 555 ‚— periúriis nostrís — euge — potíti‘ — spondeus facile excusatur ea, quae talibus efficitur exclamationibus, sermonis intercapedine. Rud. 688 autem cum codicum scriptura sit ‚Ne inquam timete: adsidete hic in ara:: Quid ista ara —‘, Geppertus inde effecit secutus Bothium ‚— adsídite hic in ára:: Istaec quid ára —‘, quod sane non est falsum, quia prima syllaba vocis ‚istaec‘ saepissime pro brevi usurpatur; sed propinquius est, quod Fleckeisenus scripsit: ‚— in ára:: Quid istaec ára‘. — Deinde Cas. 615, si hic versus revera est iambicus septenarius, non codicem A sequemur exhibentem: ‚quid opúst servo tam néquam‘, quod Gepperto placuit, sed potius reliquorum scripturam praeferemus. ‚quid sérvo opust tam néquam‘. — Denique Capt. 510 ‚ubi Brixius codicum recepit scripturam: ‚— eum | sibi út liceat vidére‘, ut etiam anapaesto aditus sit ad hunc locum datus, optio nobis est inter tres transpositiones, aut: ‚eum | ut líceat sibi vidére‘, aut ‚eum | ut síbi videre líceat‘, aut ‚eum, sibi út videre líceat‘.

Mihi quidem fateor primam videri elegantissimam. *)

Restat, ut, quod expositum erat de pedis secundi vocabulis molossicis, idem eodem modo in hunc pedem sextum cadere dicamus. Neque enim Ritschelius opusc. II, p. 686 satis accurate easdem ait hic quoque valere leges quas in eis verbis, quae ipsam subsequantur senarii caesuram: nam illic molossica vocabula, etsi rara, at prorsus exclusa certe non sunt; verum in hoc septenarii loco omnino nullam habent excusationem. Quod paene omnes videntur editores sensisse, qui quidem, ubicumque huic legi codicum scriptura repugnaret, non veriti sunt eam emendare. Si igitur Cist. IV. 2, 79 scribemus:

‚Quid istúc negotist? áut quis es?:: Ego íllius sum máter‘ (codd. eum íllius‘), non poterit omnino in hoc „illius“ cogitari de molosso; ceterum ego quoque, quod Ritschelius maluit, melius duco scribere:

‚— [Egon?] Égo sum illius máter.‘ — Mil. 385, ubi Ba praebet ‚mihi devortis visi‘, Bb ‚mihi devorti sunt v.‘, CF ‚mihi divorti

---

*) Mil. 1252, ubi codd. praebent: ‚Per amórem si quid fécero, cleménti animo ignóscet‘, Ritschelius etiam hanc proposuit emendationem: — ‚cleménti animód ignóscet‘, quam reiciendam esse apparet (in n. exc. plaut. l. p. 65); placet, quod Lorenzius scribere vult (Philol. 32, p. 435): ‚cleménti id animo ignoscet‘.

sunt visi', Bothius recte transposuit: ,devórti mihi sunt vísi'; et ibidem v. 910, ubi in B legimus: ,ancillam eiceretur', in CD ,ancilla ceretur', in F ,ancillam curetur' — quod miror Lorenzium recepisse — et Camerarius proposuit ,ancillam geratur', Ritschelius Lindemannum secutus, áncillam accurétur' scripsit. Idem Rud. 300, ubi codd. Parei ,si eventus non venit' praebent, ipse autem coniecit ,sin éventus non vénit', nunc legitur ,si evéntus non evénit', et ib. 1336, ubi idem habet ,te mihi argentum daturum', nulla adlata codicum discrepantia: ,te argéntum mihi datúrum'.

Quo magis appropinquat versus finis, eo diligentius consentaneum est leges esse observatas, eo parcius admissas licentias. Itaque in septimo pede iambica quoque vocabula rursus quam in sexto sunt rariora: exempla inveniuntur maxime quindecim, ut Rud. 363 ,amó te'; Mil. 1227 ,Venús volt'; Most. 175 ,placét mi'; Asin. 446, satís tu'; ib. 493, tamén me'; ib. 713 ,Salús sum'. Cf. Stich. 771; Curc. 493. 512; Truc. I, 2, 46. Atque etiam bis factum est, ut duae se voces iambicae in sexto septimoque pedibus exciperent: Epid. 349, forum manét me' et Poen. 1230, probrum penés nos' Sed spondiacae anapaesticaeque in scenis continuis si numquam leguntur, nemini hoc mirum videbitur.

Neque in dispersis illis versibus repperi nisi unum exemplum, quod eam ipsam ob causam, quam supra attuli, nolim acrius improbare:

Pers. 854, — fateór: manus vobís do', quamvis facile poëta scribere potuerit:, fateór: manus do vóbis'

Most. 858. 859 a(Ritsch.) autem, ex quibus Lorenzius vult septenarium efficere iambicum hunc:

,Serví, qui quom culpá carent, tamén malum metuónt hi,'

parum habent fidei, quam de quibus certum quidquam possimus adfirmare. Quamquam igitur septimum hunc pedem ad severiores esse leges adligatam perspicuum est, tamen in fine versus magna comparet varietas formarum. Etenim cum spondeus ibi locum habet, dummodo ne spondiacum sit vocabulum, tum omnes longitudines solvi possunt in brevitates, ut hi inde exoriantur versuum exitus:

∪ –́ ∪̄ ,loquátur' Asin. 473
– –́ ∪̄ ,aetáte' Merc. 521
– ∪́ ∪ ∪̄ ,effíceret' Asin. 443
∪ ∪ –́ ∪̄ ,metuéndus' Mil. 1276
∪ ∪ ∪́ ∪̄ ,inópiast' Asin. 721
∪ ∪ ∪́ ∪ ∪̄ ,male métuo' Men. 976.

Neque mirum est, quod in septimo quoque pede syllaba prima anceps facta est: quod idem in aliis generibus versuum catalecticorum cognoscimus. Nam in antepaenultima syllaba poëtae Latini putabant non opus esse tali severitate, qualem eo magis adhibebant in acatalectorum versuum paenultima.

Sed nondum egimus de uno genere vocabulorum, quod in utraque exstat dipodia, de pyrrhichiacis. Quae cum proxime accedant ad similitudinen iambicorum, facile est ad intellegendum oxytonesin perinde recipere atque illa. Ceterum una post ea brevis syllaba videbatur sufficere. Et in primo quidem pede casu desunt exempla, in quinto inveni duo:

Mil. 373 ‚Ibi meí sunt maiorés siti, patér, avos, proavos, ábavos'. (Cf. Pers. 75 in initio senarii: ‚Patér, avos, proavos etc.').

Et Cist. I, 1, 55 ‚Multísque damno et míhi lucro siné meo saepe eris súmptu', ubi Bothius praeter necessitatem transposuit: ‚sine sumptu meo eris saepe'.

Deinde unum exstat exemplum in secundo pede:

Pseud. 160 ‚Num quí minus ea grátia tamen ómnium operad útor.'

Sed eo usque est progressa licentia, nt oxytonesis etiam in trisyllabis vel longioribus vocabulis adhiberetur (cf. Proleg. p. CCXXXI.) Quod tamen si fieret, duabus opus erat syllabis brevibus. Velut in pede secundo:

Asin. 382 ‚Demaénetus ubi dícitur habitáre. i, puere, púlta'.

Poen. 236 ‚Nimia ómnia nimium éxhibent negóti hominibus éx se'.

Et in pede sexto:

Pseud. 155 ‚Adsístite omnes cóntra me, plagígerula genera hóminum' (sic Ritschelius versum constituit; ‚plagigerula' Both., codd. ‚plagigera').

Neque vero in his locis ponemus aut Asin. 615:

‚Compléctere:: Fació lubens:: Utinám sic ecferámur',

aut Rud. 391, Ne périerit :: Ubinam éa fuit cistéllula? :: Ibidem in návi,'

aut Pers. 776: ‚Ut amántem amanti [dáre] decet:: Cedo :: Accipe: Bene vóbis',

aut Pers. 304 ‚Ubi se ádlevat, ibi me ádlevat. quae díxi ut nuntiáres'.

Nam omnibus his locis tribracho admisso molestissime sententiarum perturbaretur concinnitas.

Nunc quoniam has de caesura et de numerorum rationis cum accentu verborum consociatione quaestiones gravissimas expedivimus, id unum relinquitur, ut, si naturam septenarii iambici plene cumulateque velimus explicare, quatenus quibus condicionibus singuli pedes metrici sint usurpati, accuratius doceamus atque declaremus.

III. De pedibus metricis.

Quam exiguis finibus certorum quorundam vocabulorum in pedibus singulis usum vidimus contineri, tam late patere ipsorum pedum metricorum rationem nunc cognoscemus. Veluti, ut ab dactylo ordiamur, dactylica vocabula nusquam illa quidem nisi in primo quintoque pedibus usurpantur, dactylus ipse ubique admittitur atque etiam in pedem quartum, si modo versus caesuram illam habet trochaicam. Et in tertio quidem sextoque pedibus paene innumerabilia inveniuntur exempla, ex quibus pauca seligere sufficiet:

ut in pede tertio:
Mil. 354 ‚ut mémineris'
ib. 360 ‚manibus pátibulum'
ib. 368 ‚his quídem oculis',
in sexto:
ib. 358 ‚aúris loquere'
ib. 372 ‚futúram mihi'
ib. 373 ‚avos proavos'.

Sed etiam in primo, secundo, quinto, septimo pedibus saepissime usurpatur dactylus, ut:

in pede primo·	in secundo:
Mil. 355 ‚At métuo'	ib. 355 ‚ut satis'
ib. 359 ‚Credo égo istoc'	ib. 358 ‚tu Sceledre'
ib. 374 ‚Non pótis est'	ib. 360 ‚Dispéssis manibus,
in quinto:	in septimo:
ib. 374 ‚hisce óculis'	ib. 363 ‚praeprópere'
ib. 379 ‚certe égo'	ib. 376 ‚te vídeo'
ib, 380 ‚argúere'	ib. 389 ‚evéniet'

Denique ne quartus quidem pes dactylo prorsus caret: sunt hic duo certa exempla haec:

Asin. 583 ‚risu mé continui,'
ib. 720 ‚contíngat tibi vis'.

Iam vero duo deinceps dactyli haud parce usurpantur, velut

in pedibus primo secundoque:

Mil. 1258 ,Nescío ubi hic prope adest.'

ib. 1280 ,Ne illam ánimi excrucies'

Asin. 385 ,Nemo étiam tetigit';

in secundo et tertio:

Mil. 360 ,Dispéssis manibus pátibulum'

Merc. 542 ,Quid, déntes?:: Nihil est, séquere'

Asin. 606 ,— quo properas?:: Béne vale'

in quinto et sexto:

Merc. 525 ,tam vétulam?:: Generis'

Asin. 574 ,durítia dederis'

ib. 600 ,se pópulus teneat';

in sexto septimoque:

Pers. 281 ,perpetuo péreas'

Asin. 482 ,supplicium:: Atque étiam'.

Pers. 297 ,ábeas?:: Abigis fácile'.

Quin etiam tres deinceps dactyli continuantur minime raro, ut in primo, secundo, tertio pedibus:

Mil. 1270 ,Verbum édepol facere hau pótis erit'

Rud. 693 ,Praesídio Veneris málitiae'

Curc. 495 ,Mancúpio accipiam quíbus sui'; in quinto, sexto, septimo pedibus:

Asin. 739 ,haec fáciet facile ut pátiar' (sic Both. et Fleckeis., codd. ,facile faciet),

Rud. 1310 ,qui périit quid ibi infúerit'.

Sed antequam ad anapaestum transgrediamur, iudicandum erit de lege aliqua, quam Kraussius l. l. p. 551 proposuit: si quartus pes dactylus sit, apud Plautum (nam Terentium hic omitto) numquam praecedere dactylum. Quod quibus nitatur argumentis, scire ex illo pervelim: nam quod exempla desiderantur, nemo, opinor, magno opere miretur, cum omnino dactylum bis tantum in pede quarto inveniamus. Atque quod idem contendit ne apud Plautum quidem, si in quarto pede sit anapaestus, in tertio quoque anapaestum posse antecedere, supra vidimus anapaestum in quarto pede omnino non exstare.

Ad hunc igitur pedem ut veniamus, is quoque excepto, ut diximus, pede quarto, occurrit ubique, et saepissime quidem in quinto, ut Merc. 501 ,oculós', 502 ,magis ést', 513 ,quod ego ómnis', alias; deinde in primo, ut Merc. 540 ,puer ést', 510 ,bona si ésse', 512 ,quasi

dícas', saepius; tum in tertio, velut Merc. 499 ,operám', 505 ,mihi si ímperes', 506 ,sapiéntia'; rarius in pedibus secundo et sexto (vv. fere vicenis quinis), ut Merc. 539 ,neque erit'; Mil. 364 ,bonus servos'; ib. 365 ,ínsimulavit' — Mil. 876 ,pércipiatis'; 891 ,faciundum'; 892 ,facietis', alias. Atque hic quoque rursus duo deinceps invenimus anapaestos, veluti in pedibus primo secundoque:

Rud. 358 ,Ea núnc perierunt'

Mil. 392 ,Ita me ínsimulatam'

ib. 364 ,Ubi istést bonus servos' (sic Ritsch.). (Cf. ib. 906. 907; Most. 170; Asin. 410); secundi autem tertiique pedum casu nultum exstat exemplum; at eo plura quinti et sexti, ut

Asin. 567 ,male fácta iterari'

ib. 622 ,ideó quia numquam'

ib. 704 ,magis ést equos nullus' (Cf. Rud. 313. 687; Mil. 876. 892. 1260; Most. 176. 210; Epid. 345).

Denique semel in sexto quoque et septimo pedibus excipiunt sese anapaesti:

Asin 614 ,enim tu mihi víta's (codd. ,tu vita es | Mihi'; Both. ,mihi' posuit post ,dulcior', cuius rei causam video nullam).

Iam vero tres primi pedes constant ex anapaestis Most. 170:

,Ita mé di ament, lepidást Scapha —'

Sed cuius separatim mentionem faciamus, dignus videtur esse pes septimus. G. Hermannus enim, cum elem. p. 156 dicit, ne offensionem hic pes haberet, operam dedisse Latinos, ut non ex pluribus verbis compositus esset anapaestus, sed uno comprehenderetur, non dicit ille quidem satis accurate et subtiliter. Nam quem versum adfert Pers. 280 ,erús me iussit habére', is sane falsus est, quia non licet hoc modo: _ υ | υ _́ anapaestum dirimere. Nunc Ritschelius codd. A et B secutus vestigia ibi sic scripsit: ,erus iússit med habére' (cf. nov. exc. Plaut. p. 30).

Neque tamen ullo modo rari sunt anapaesti in septimo pede hac ratione compositi: υ υ | _́. Quales repperi hos:

Mil. 1283 ,ita crédo' (Both.)

Asin. 614 ,mihi víta's'.

Cist. I, 1, 52 ,eris súmptu'

Curc. 105 ,satis sólist'

Epid. 369 ,med quidem cérto' (B ,met quidem'. Cf. Ritsch. nov. exc. Plaut. p. 32 sq.)

Poen. 1217 ,mea spónsa'

Poen. 1188 ‚haec quidem abúsast' (v | v _,_) (cf. Ritsch. nov. exc. Pl. p. 85 not.).

Denique licebit etiam huc referre Pers. 776, — Cedo:: Accipe:: Bene vóbis'.

Tantum tamen verum est usitatiores esse eos anapaestos, qui unius verbi comprehenduntur vinculis.

Quorum exempla sunt haec:

Asin. 414 ‚detinuísse'	Epid. 364 ‚ludificétur'
ib. 423 ‚suppeditáre'	ib. 358 ‚dinumerávi'
ib. 453 ‚denumeráre'	Cist. IV, 2, 42, hac regióne'
ib. 198 ‚enumerári'	Mil. 396 ‚insimulátam'
Pers. 279 ‚perpetiáre'	ib. 879 ‚pollicitári'
Stich 682 ‚adveniéntis'	ib. 1276 ‚est metuéndus'
Rud. 371 ‚exanimátas'	id. 405 ‚obtinuísse'
ib. 409 idem	(Soph. Bugg. Philol. t. 30, p. 642)

Hos igitur duos pedes, de quibus adhuc egimus, dactylum et anapaestum si inter se coniungimus, aut haec evadit forma: __ v́ v v v _,_ aut haec: v v _,_ __ v́ v; quarum prior cum plane sit falsa (cf. Ritsch. Opusc. II, p. 716), emendatione egent

Asin. 673 ‚Redime ístoc benefició te ab hoc' — et ib. 634 Quas hódie adulescens Díabulus ipsí daturus díxit'.

Et ibi quidem Ritschelius revocata forma ‚benfició' vitium perquam facile sustulit (cf. op. II, p. 716 sqq. et Truc. II, 6, 20, ubi Ba ‚mal ficio' C ‚mafficio', Cb ‚malficio', D ‚maficio'). Hic perdubia est emendatio: nullam inveni nisi hanc viam versus corrigendi: ‚Quas hócedie adulescéns Diabulus eí d. d.', ut caesura sit trochaica et tribrachus in pede tertio.*)

At contra vel saepissime invenitur forma v v _,_ __ v́ v, in pedibus praesertim primo secundoque et quinto sextoque; quod non opus erit multis exemplis confirmare, velut

in primo et secundo:

Mil. 377 ‚Nisi mírumst facinus'
ib. 876 ‚Satis si íntellegitis;'

---

*) Poteram etiam: ‚Hodie ádulescens quas Díabulus ipsí daturus díxit'; sed haec collocatio pronominis ‚quas' admodum videtur dubia esse neque ullum repperi exemplum; accedit, quod perdurum est ‚ádulescéns' sic in secundo pede positum.

in secundo tertioque:

Asin. 499 ,etiam nunc Périphanes;'

in quinto et sexto:

Mil. 358 ,habeo aúris, loquere'
ib. 936 ,ego núnc si ecficiam'
ib. 937 ,meus hóspes habeat';

in sexto et septimo:

Asin. 704 ,equos nullus sápiens'
Rud. 328 ,ópperiar dum véniat'
Most. 176 ,quidem stulta's múlier'

Idem porro cadit in proceleusmaticum, qui in primo potissimum et quinto pedibus usque adeo est usitatus, ut longum sit omnia exempla enumerare. Quamobrem satis habebimus pauca seligere, velut:

ex primo pede:

Mil. 923 ,Populi ódium'
ib. 1218 ,Video édepol'
Most. 196 ,Moneo égo'

ex quinto:

Mil. 362 ,mihi quóque'
ib. 925 ,nimis lépide'
ib. 1269 ,item ut álias'.

Rarius autem invenitur in secundo, tertio, sexto pedibus, minime saepe in septimo.

Ut in secundo:

Poen, 1220 ,quidem volui'
Rud. 328 ,mihi meliust'
Cist. IV, 2, 78, volo sociam;'

in tertio:

Rud. 391 ,ubinam éa'
Ep. 372 ,auspicio Epidici'
Most. 182 ,ita Phílolaches';

in sexto:

Curc. 120 ,anus lepida'
ib. 121 ,faciam igitur'
Asin. 701 ,erum vehere'
ib. 713 ,nam ego tibi;'

in septimo vero pede unum habemus certum exemplum:

Men. 978 ,male métuo'.

Nam Asin 430 ,aedibus hábitat' (Bothius ,aede hábitat' foedissimo hiatu) et Curc. 121 ,prolue própere' (sic Fleckeisenus, codd. ,propere prolue') non sine aliqua sunt offensione, quia pes trochaicus hic dactylico vocabulo expletur. Sed ille Asinariae locus num forte sic possit sanari, ut scribamus ,aedid habitat'? Quod facile fieri potuit, ut librarius male intellegeret et ,aedib" putaret scriptum exstare, i. e. ,aedibus'. Cf. Asin. 220 ,aédis nobis áreast'. Nam quod Buecheler (declin. lat. p. 64) putat ,— ibus' in pronuntiando aeque ac ,tibi' tamquam unam fortasse syllabam sonuisse, hoc plane incredibile est. — Ceterum inter omnes, qui exstant in septenariis iambicis, proceleusmaticos nullum in-

veni, quin hac esset forma v v | v́ v. Namque Mil. 1260 ,Tene me, óbsecro:: Quór?:: Né cadam:: Quid itá?:: Quia stare néqueo', ,quid itá' purus est anapaestus. Cf. Curc. 48 (in initio senarii) ,Quid itá? :: Quia proprium fácio — ' Quamquam ne haec quidem forma prorsus videtur exclusa fuisse. Cf. Ritschelii Proll. pp. CCLXXXIX et CCXXXI.

Explicatis igitur huius quoque pedis rationibus unus relinquitur tribrachus, cuius cum usus latissime pateat paucasque ad mittat licentias breviter licebit gravissima quaeque attingere. Legitima enim forma illius est haec: v | v́ v; inveniri tamen etiam hanc alteram v v́ | v in priore capite vidimus. — Ac saepissime tribrachus in pedibus secundo et sexto exstat, praesertim si vel anapaestus praecedit vel dactylus, ut Asin. 464 ,peregrínus ego'; ib. 567 ,Verum édepol etiam', alias.

Sed digni, qui dumtaxat paucis perstringantur, pedes sunt tertius septimusque sublationibus solutis.

Etenim prout positio tertii pedis sive longa est sive brevis, ita dactylus vel tribrachus oritur exitusque prioris dipodiae speciem induit proceleusmatici vel quarti paeonis. Cf. Ritschelii Prolegom. p. CCLXXXVII. Et elegantissimus quidem is est, qui ex vocabulo constat quadrisyllabo, ut Mil. 411. 412 ,Inde ígnem in aram, ut Éphesiae Diánae laeta laúdes'

,Gratísque agam eique ut Arabio fumíficem odore amoéne'.

Cf. ib. 1223 ,múlieres'. 1273 ,múlierem'. Most. 165 ,párietes'. 167 ,Phílolachi. Mil. 354. 360. 887. 888. 896 ,obséquimini'. 926 1242. 1264. 1272. 1283, saepius.

Nec tamen minus usitata est altera haec forma v́ v | v v̄ velut Asin. 496 ,míhi facis'. 570 ,úbi sacro', 584 ,míhi fidem'; Truc. I, 2, 94, síbi fuit'; Rud. 372 ,íta solet'. 381 ,íta probe'; Mil. 391 ,méa soror'. Cf. ib. 383. 409. 885. 917. 1255. 1262. 1263. 1270, alias.

Tertia autem forma haec est: v́ v v | v̄ ut Rud. 345 ,édepol hau'; Mil. 877 ,áliud est'; Asin. 678 ,génua ni'; Truc. I, 2, 70, áliter est'; ib. 87 ,mélius iam'. Cf. Rud. 343. 347. 350. 369; Most. 187; Cist. IV, 2, 46. 74. Poen. 1259. Accedit vero quarta haec: v́ | v v v̄, quam Ritschelius in senarii quidem exitu esse improbandam iure censuit. Cf. Prolegom. p. CCLXXXVIII. At in nostro versu minime desunt certa exempla, ut Rud. 346 ,ét homines', Pers. 309 ,quíd agitur'; Curc. 505 ,méo animo'; Mil. 384 ,ín Ephesum'; Poen.

812 ‚quíd habeat‘. Sic etiam apud Terentium Phorm. V, 4, 2 animo‘; Hec. V, 2, 10 ‚quód aliae‘. Huc etiam pertinent tales exi… quales videmus Mil. 925 ‚quís ego sim‘; Cist. IV, 2, 47 ‚quíd ego erae‘, similes.

In septimo autem pede si thesis est soluta, fere semper versus solet cadere in vocabulum trisyllabum (rarius in quadrisyllabum vel longius), veluti Merc. 504 ‚fácias‘; 510 ‚mísera‘; 511 ‚sólitumst‘; 522 ‚dídici‘; 530 ‚rédiit; Asin. 428 ‚adsíduam‘; 605 ‚accípiam‘; 684 ‚conticínio‘; 714 ‚adgrédere‘; Most. 192 ‚interfíciam‘. Sed invenitur etiam forma $\acute{\upsilon}\ \upsilon\ |\ \bar{\upsilon}$ his locis: Pers. 316 ‚cáve sis‘; Asin. 487 ‚nísi me‘; Mil. 1216 ‚víde dum‘; Men. 984 ‚íta sint‘. Quin semel exstat haec: $\acute{\upsilon}\ |\ \upsilon\ \bar{\upsilon}$ Asin. 501 ‚deceptust ín eo‘, ubi duo haec verba pro uno sunt vocabulo trisyllabo.

VITA.

Natus sum Paulus Hermannus Eduardus Mohr a. d. VIII. Cal. Mai. MDCCCLI Stendaliae patre Hermanno, secretario commissionis generalis regiae, matre Carolina carissimis mihi et adhuc viventibus. Literarum rudimentis imbutus sum primum in ludo quodam privato, deinde gymnasium patriae meae coepi frequentare. Cum autem pater anno MDCCCLXV Merseburgiam transmigrasset, ibi decurso, quod restabat, scholae curriculo, instructus testimonio maturitatis inde a vere anni MDCCCLXX per primum semestre Gottingae philologiae studiis operam navavi, cum Sauppii duabus scholis interessem et seminarii regii tunc a vv. dd. Leutschio, Sauppio, Wachsmuthio administrati socius essem extraordinarius. Sed cum parentes et rei familiaris angustiis et aliis causis commoti in aliam me literarum universitatem transire cuperent, quae maiorem mihi copiam daret vitam tolerandi, Lipsiam profectus sum, ubi vv. dd. Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Langii, Overbeckii, Ritschelii, Voigtii, Zarnckii fui auditor, quibus omnibus de me optime meritis gratias ago quam maximas, atque nunc quartum est semestre, cum seminarii regii socius sum ordinarius. — — —

Druck von Hottenroth & Schneider in Merseburg.